

ne desitunt. am Philosophiam anteponunt.

Philosophos igitur a Theologis disiumgere, Græcos a Latinis, hominum sane est, uel suo quamque rem momento non ponderantium, uel certe ipsam ueritatem consulto prodere, & sibi, atque alijs pestem afferre studentium. Vna est pura, uera, sinceraque ueritas, quæ a Deo genita, impressa in hominum mentibus, adhibita cælesti illa fidei norma, ex Græcis, Latinis, Philosophis, & Theologis & colligitur integra, & petenda est.

Hæc habui, Amice Lector, quæ de optimo philosophandi genere uniuersè præciperem, ne falsis, ac prauis opinionibus deceptus in perniciosos errores rapiaris: sed ueritatis, pietatis, ac diuinæ religionis patrocinium, ut de Philosophia, de Christi, & Dei Ecclesia benemerearis, sponte ac lubens semper suscipias. Precor à Deo Opt. max. quo Patres nostri auctore hoc uelle ceperunt, ut eodem adiutore, labor hic, propositum sibi diuinæ gloriæ, & publicæ utilitatis fructum consequatur. Vale in Christo Iesu.